

Phæn. V,

*adumbratum est,*] nihil aquæ per fundi foramina emittit, sed pendulam gestat ac pro lubitu transfert: quo eodem modo *Siphon simplex sive rectus* (quem rectè vulgò eimen Heber appellent, ad differentiam siphonis reflexi accommodè magis ein Zieher nuncupandi) organum cauponibus nostris usitatissimum, angustioris, tam suprâ quàm infrâ osculi ac ventris in medio laxioris, [*Vid. lit. H. num. 3.*] dum mersus alterâ sui extremitate vinoque onustus supernè clauditur admoto pollice, & sic in liberum aërem protrahitur, nihil vini effundit, ultrò citroque licet, prout usus postulat, delatus; & quo patulo dolium etiam, supernè probè obturatum, vmo vel cerevisiæ, per patulum licet inferius epistomium, exitum non concedit, prout cauponum famulis & ancillis etiam est notissimum.

Phæn. VI,

X. Quamprimùm autem in hoc casu aut pollex remotus ab orificio clepsydræ vel siphonis superiore [*Vid. lit. F. num. 3.*] aut obturaculum dolii superum laxatum fuerit, absque mora haustus antè liquor è perforato fundo aut aperto inferiùs orificio largiter profluit; admoto denuò obturamento mox iterum in ipso medio fluxu sistendus. Nec est quòd quidquam hîc addamus, præterquam hoc unum; quos hactenus circa vulgatiore liquores, aquam, cerevisiam, vinum &c. præstitit effectûs clepsydra, nos etiam circa Mercurium seu argentum vivum tentâsse, & eosdem deprehendisse, cum difficultate tamen aliqua; ut ex postea dicendis ampliùs elucescet.

XI. In his omnibus casibus quia pendulas in perforato clepsydræ fundo aquas &c. ab aëre forinsecus obnitente sustentari credebamus, vi hypotheseos infrâ prolxiùs applicandæ; non poteramus non inde inferre: siquidem ita res habeat, necessum esse, hoc sustentaculo remoto liquorem statim effluere, ac rursus admissio iterum sisti. Nec mora, paratam ad Phænom. V. conditiones clepsydræ, h. e. obturaculo cereo clausam ac insuper vesicâ suillâ obligatam, intra cucur-